



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Vita Hadriani Papae III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

prædicti cœnobii, nullus ibi, quacumque subreptionis ambitione, abbatem statuere præsumat, nisi quem eiusdem loci monachi secundum authenticam & regularem institutionem ex seipsis elegerint ordinandum. Si quis autem hanc paginam constitutionis agnoscens contra eam venire tentauerit, sit alienus a sacratissimo corpore Domini Iesu Christi, & nisi præsumpta correxerit, vel male ablata non restituerit, ultionem cum Iuda proditore excipiat, & beatum Petrum sentiat hostem. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis inueniant. Scriptum per manum Zachariæ scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ mense Maio, indiçtione prima. Bene valete. Pridie Idus Iunias, per manum Valentini ecclesiæ Portuensis episcopi, regnante in perpetuum Domino Deo nostro. Anno pontificatus domni Marini vniuersalis papæ primo, indiçtione prima.

V I T A

HADRIANI PAPÆ III.

ANNO  
CHRISTE  
884.

**H**ADRIANVS III. natione Romanus XIII. Kalendas Quando pontifex factus Februarii anno Redemptoris nostri 884. temporibus Caroli III. & Basilii imperatoris creatus est pontifex: sedit annum vnum, menses tres, dies decem & nouem. Solicitatus a Basilio imperatore vt cum Photio in rebus Photium execratus est. fidei & religionis communicaret, non tantum non petitioni eius acquieuit, verum exemplo prædecessoris sui Marini eundem tamquam laicum acerrime est insectatus. Quo facto imperator grauissime contra eum commotus, hostiles ei literas contumeliis plenissimas transmisit. Hadriano prius hac vita defuncto, quam literas imperatoris minacillimas accepisset, accepit eas Stephanus, reddiditque ad Basilium eam epistolam, quam supra in appendice octauæ Synodi impressam inuenies.

De electione pontificis decreuit, ne in ipso creando imperatoris auctoritas expectaretur; idque ideo, vt clerici & populi libera sint suffragia. Eius tempore Cassinense monasterium a Saracenis incensum esse scribit Leo

Concil. Tom. 24.

T t t

Ostiensis libro I. capite 45. Magno cum luctu vniuersæ ec-  
clesiæ mortuus est anno Domini 885. sepultus in basilica  
sancti Petri. Quanto tempore sedes apostolica post mor-  
tem illius pastore destituta fuerit, non satis liquet, &c.

VITA ET EPISTOLÆ  
STEPHANI PAPÆ V.

ANNO  
CHRISTI  
885.

Ex Anasta-  
sio biogra-  
pho ponti-  
ficum, qui  
hucusque  
excurrit,  
non ultra  
progressus.

**S**TEPHANVS, natione Romanus, ex patre Hadriano,  
de regione Via lata, sedit annos quatuor, menses se-  
ptem, dies quatuordecim. Iste siquidem beatissimus pon-  
tifex nobilium parentum, Romanorum quoque, prosa-  
pia ortus, dum per Dei gratiam cresceret, sacris est edoctus  
dogmatibus, studio & sollicitudine Zachariæ sanctissimi  
episcopi consanguinei sui, & sedis apostolicæ bibliotheca-  
rii. Cumque conspiceret piæ memoriæ Hadrianus iunior  
pontifex moribus bonis pollentem, & literarum studiis  
feruentem, a prædicto inlyto genitore suo eum auferens,  
ad subdiaconatus, Deo fauente, gradum prouexit; sta-  
tuens eum inter alios sibi familiarem, & in patriarchio La-  
teranensi ecclesiasticum peragentem officium. & hoc ho-  
nore percepto vitam ipse duxit mirabilem.

Fit subdia-  
conus.

Virtutes  
eius.

Erat enim corpore castus, animo beneuolus, vultu hi-  
laris, eloquio prudens, opibus largus, ingenio facundus,  
mœrentium consolator, pupillorum, & inopum enutritor,  
& vt generaliter comprehendam, omnium virtutum flo-  
ribus adornatus. Quamobrem hic idem eminentissimus  
præful in sanctæ Romanæ ecclesiæ seruitio perdurans, &  
magis ac magis specialibus studiis vacans, a reuerendæ me-  
moriæ Marino summo pontifice bene notus & amatus,  
familiaribus eius potius est ascitus obsequiis. Huius nam-  
que cum castimoniam, & prudentiam, atque fidelita-  
tem idem Marinus summus papa per omnia intueretur,  
ob suæ fidei & prudentiæ meritum manipularem sibi de-  
legauit: & scita sua spiritali conuersatione, tituli beato-  
rum quatuor Coronatorum presbyterum consecrauit, &  
in nullo a se dum vixit separari permisit. Igitur defuncto  
recordandæ memoriæ Hadriano papa, qui eidem beatif-  
simo papæ Marino successerat, super fluuium \* Scultiuna,

Fit presby-  
ter cardini-  
alis.

\* ad Scul-  
tium,  
leg. Scul-  
tium,  
in Exi-  
lia.